

ter: quia per accidens variæ circumstantiæ evenire possunt, quæ ab hac obligatione ministrandi Eucharistiam tempore pestis excusant, ut si timeatur irreverentia Sacramenti, si peste infectus paucis ante diebus communicasset.

DISPUTATIO XXVI.

De Essentia & Ministro Sacrificii Missæ.

EUCHARISTIA non tantum Sacramentum, sed etiam Sacrificium est, ut contra nostri temporis hæreticos definiit Concilium Tridentinum Sess. 22. de Sacrif. Miss. can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum nobis ad manducandum dari, Anathema sit.* Vocaturque hoc Sacrificium communi nomine; *Missæ*, quæ vox licet ab aliquibus ab Hebraico deducatur, attamen probabilius est latina significans idem, quod missio, ac denotans ipsam sacram ceremoniam, quâ sacrum Christi Corpus & Sanguis cum piis quibusdam ritibus in altari à sacerdote offertur aut ipsam actionem, quâ Sacramentum Eucharistiæ conficitur, tum quod hoc Sacramentum ex oblatis olim à populo missis fieret, tum quod Ecclesia sacerdotum ore & manibus preces suas in hoc sacrificio ad Deum mittat, tum propter solemnem dimissionem plebis, quæ fit in fine sacrificii, dum dicitur ad populum: *Ite, Missæ est.* Et quia olim duplex fiebat dimissio: una catechumenorum ante offertorium, altera fidelium in fine, duplex erat Missas catechumenorum, & fidelium. Licet autem vox hæc in sacra Scriptura non inveniatur, res tamen invenitur, estq; vox hæc in Ecclesia antiquissima, celebratq; Missæ Catholica Ecclesia ex urgentibus ratio-

nibus non idiomate vulgari, sed artificiali inter Latinos latino, inter Græcos græco, ut enim inquit Con. Trid. sess. cit. cap. 8. *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur.* Hunc usum carpit Quesnellus in Propositione 86. damnata: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesie, est usus contrarius praxi Apostolicæ.* Certè si praxi Apostolicæ contrarius sit hic usus, illum Concilium Tridentinum non iussisset servandum, & sufficienter expositione mysteriorum pasci & refici populum fidelem iudicasset, apud quem vilescerent hæc altissima mysteria, si in vernacula lingua quotidie audirentur, hæc ergò rectâ calumniâ, sit

Q U Æ S T I O I.

An confectio Eucharistia sit Sacrificium, & idem quod in Cruce?

Sacrificium sumitur à faciendo factum, latius sumitur pro omni oblatione vel opere in Dei obsequium relato ità Psal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et Ps. 49. v. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Strictius sumptum definitur: oblatio externa rei sensibilis à legitimo ministro soli Deo facta cum mutatione destructiva rei oblatae ad profitendum supremum Dei Dominium & nostram subjectionem.

Dicitur 1. *Oblatio*: in quo ut genere convenit cum aliis oblationibus in obsequium Dei factis, ut oblatione decimarum, primitiarum &c. & distinguitur ab aliis actibus religionis, qui non sunt oblatio: ut adoratio, oratio &c. Dicitur 2. *Externæ*: ad distinctionem ab actibus internis religionis. Dicitur

De
Dicit
num r
Majef
Aleg
bicus
haben
Deo f
testati
nulli c
mutat
vel ex
conlur
exprin
tæ & r
secus
XXX
DI
in eo
Sive I
Pr
Melc
cum
cium
dotib
confe
posto
quod
facite
quo e
cerdo
109.
sacri
sola
chise
chari

Dicitur 3. *Rei sensibilis* : quia sacrificium est signum religiosum significans protestationem divinæ Majestatis nostramque subjectionem. Dicitur 4. *A legitimo ministro* : quia cum sacrificium sit publicus & excellentissimus Dei cultus, debet fieri ab habente publicam auctoritatem. Dicitur 5. *Soli Deo facta* : quia sacrificium est actus latriæ protestativus supremi Domini in omnes creaturas, qui nulli creaturæ exhiberi potest. Dicitur 6. *Cum mutatione destructiva rei oblatae* : nempe ex parte vel ex toto, ut fractione, effusione, occisione, consumptione, combustione &c. quia hoc modo exprimitur & significatur absolutum Dominium vitæ & mortis in Deo, quæ significatio est finis intrinsecus sacrificii. Recolantur dicta 2. 2. Disput. XXXVI.

DICO 1. *Proprium est huic Sacramento, quod in eo Christus immoletur.* S. Th. hic Q. 83. a. 1. O. Sive Eucharistiæ celebratio est verum sacrificium.

Probatur 1. ex Script. Imprimis ex sacrificio Melchisedech: Christus in ultima Cæna, quam cum Apostolis habuit, verum & proprium sacrificium obtulit Deo Patri, ergo etiam modo à sacerdotibus offertur sacrificium, cum Eucharistiam consecrant. Consequentia patet: quia Christus Apostolis & eorum successoribus faciendum injunxit, quod ipse peregit: ut constat ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, antecedens, in quo est difficultas, ita ostenditur: Christus fuit *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, juxta Psal. 109. v. 4. Ergo obtulit sacrificium, quod per sacrificium Melchisedech fuit adumbratum, sed sola Eucharistia est sacrificium per sacrificium Melchisedech adumbratum, quod nempe, sicut Eucharistia in pane & vino consistebat, Genes. enim

14. dicitur: *Melchisedech Rex salem proferens panem & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi.*

2. Ex Cap. 1. v. 10. & 11. Prophetiæ Malachiæ, ubi Propheta in persona Dei ita ait: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* In quo tria dicuntur: 1. Deum antiquæ legis sacrificia repudiaturum. 2. Instituendum in lege nova alterum sacrificium ex hostia pura & sancta. 3. Alterum illud sacrificium in toto terrarum orbe offerendum esse; sed hæc soli Eucharistiæ conveniunt: nam sacrificium, quod prædicit Propheta non est 1. sacrificium Aaronicum sive Judæorum, quia Deus dixit antiquæ legis sacrificia cessatura, sacrificia etiam Judæorum non offerebantur à gentibus, sicut dicitur offerendum novum illud sacrificium. 2. Nec est sacrificium gentilium legem veterem præcedentium, ut erant Job, Melchisedech: quia sacrificium hoc novum dicitur offerendum in omni loco. 3. Nec potest intelligi de sacrificio cruento crucis: quia illud non nisi semel & in uno montis Calvariæ loco oblatum est, nec 4. potest intelligi sacrificium Metaphoricum bonorum operum: quia Propheta loquitur de nova oblatione prioribus sacrificiis oppositâ, bona autem opera omni tempore fuerunt Deo oblata; ergo Prophetia Malachiæ tantum de sacrificio Eucharistiæ intelligi potest.

3. Ex illo ad Hebræos 13. v. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt; id est Judæi.* Et 1. ad Corinth. 10. facit Apostolus comparationem inter altaria Christia-

DE E
Christi
qui ed
sed qua
Deo,
testis c
Ergo
offeret
deban
molat
fideles
4.
novam
nullum
postol
dotiur
sacrifi
cruent
prom
cium
Pr
relig
ergo
& sac
antiq
rum l
cis u
prog
tur sp
debu
aliud
ficii
aliqu
soli
nibu
testa
neci

Christianorum & altaria gentilium *ψ.* 18. Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? & *ψ.* 20. sed qua immolant gentes demoniis immolant & non Deo, nolo autem vos socios fieri demoniorum, non potestis calicem Domini bibere & calicem demoniorum. Ergo sicut gentiles & infideles dæmoniis in altari offerebant victimas, de quibus bibebant & comdebant, ita & sacerdotes fideles in suo altari immolant victimam incruentam, de qua pascuntur fideles.

4. Translato sacerdotio antiquæ legis ad legem novam, debuit etiam transferri sacrificium: quia nullum est sine sacrificio sacerdotium, sed juxta Apostolum ad Hebræos 7. *ψ.* 12. Translatum est sacerdotium legis antiquæ ad legem novam; ergo etiam sacrificium; illud autem non potest esse sacrificium cruentum, quia illud præcessit legem novam, quæ promulgata fuit in die Pentecostes, ergo est sacrificium incruentum seu Eucharistiæ.

Probat 2. ratione: Lex nova in cultu Dei & religione non debet esse imperfectior lege antiqua; ergo sicut lex antiqua habuit perenne sacerdotium & sacrificium, ita multo magis lex nova: cum legis antiquæ sacrificia fuerint tantum figuræ sacrificiorum legis novæ. Ergo sicut propter sacrificium crucis ut futurum dabantur in lege veteri sacrificia prognostica sacrificii cruenti, quibus Deo exhibebatur specialis cultus externus soli Deo debitus, ita debuit in lege nova præter sacrificium crucis esse aliud perenne sacrificium commemorativum sacrificii cruenti, ne in hac perfectissima lege gratiæ sit aliquis defectus in exhibendo cultu externo, qui soli Deo est proprius, alii enim cultus etiam hominibus exhiberi possunt; sacrificium autem, quo protestamur Deum esse supremum Dominum vitæ & necis, est cultus soli Deo proprius. Kk 4 Obj.

VI.
 proferens pa-
 ulissimi.
 Malachia,
 Non est mihi
 um, & mi.
 enim solus
 in genti-
 ur nomina
 men meum
 eum anti-
 tuendum
 ia pura &
 oto terra.
 ucharistiæ
 edicit Pro-
 ive Judæo-
 ficia cessa-
 rebantur à
 m illud sa-
 ium legem
 , Melchite-
 itur offeren-
 lligi de sacri-
 is semel & in
 , nec 4. po-
 am bonorum
 nova oblatio-
 a autem opera
 ergo Prophe-
 ucharistiæ in-
 . Habemus al-
 tem, quæ ab-
 1. ad Corinth.
 m inter altaria
 Christia-

Obj. 1. Unicum est in lege nova sacrificium cruentum, quod est sufficiens pro delendis omnibus peccatis; ergo alia sacrificia sunt frustranea & superflua.

R. Sacrificium cruentum crucis, ex se quidem, id est, quantum ad magnitudinem pretii, & quantum ad actionem cruentam, quâ oblatum fuit, satis erat ad redemptionem hominum, ita ut non fuerit opus, ut ad promerendas gratias, quibus homines ad salutem indigent, Christus aliud pretium offerat æterno Patri, & in hoc differt sacrificium crucis à sacrificiis Judaicis, quæ tum ratione victimarum, quæ immolabantur, tum ratione actionis, per quam fiebat talis immolatio, erant insufficientia ad delenda peccata; oblatum tamen semel in cruce sacrificium non est satis ad actualem redemptionis applicationem; aliàs enim omnia Sacramenta, & fides ipsa, forent frustranea, licet ergo sacrificium crucis ob infinitam efficaciam satisfaciendi & promerendi expiârit omnia peccata hominum quantum ad sufficientiam, nihilominus præcepit Deus, & instituit Missæ sacrificium illius cruenti rememorativum, ut per hoc pretium crucis nobis applicetur.

Obj. 2. Sacrificium est oblatio rei sensibilis cum illius immutatione facta Deo ex legitima institutione in signum supremi Domini; sed hæc non conveniunt Eucharistiæ; quia corpus Christi non est sensibile nec immutatur: ergo

R. Corpus & Sanguinem Christi non quidem per se sed per species panis & vini esse sensibilia, fit etiam in consecratione Eucharistiæ hostiæ immutatio & immolatio, non quidem per mortem veram realem, sed per mortem mysticam, quæ nempè contingit per hoc, quod ex vi verborum, per

DE
per qu
ciebus
constit
lit sub
nem sa
immol
non est
Obj
quia H
sunt s
perma
sempit
sacerd
ac pro
ferre
R.
cessor
tur su
id i. a
nistro
nistro
rum
mus &
DI
obulu
crifici
Ea
crifici
idem
una n
cipal
ter sa
puè l
sacris
numa
per

per quæ oblata consecrantur, sanguis solus sub speciebus vini & solum corpus sub speciebus panis constituitur, licet per concomitantiam utrumque sit sub una tantùm specie, satis autem est ad rationem sacrificii, quod ex vi actionis, per quam fit immolatio, sanguis hostiæ effundi debeat, licet actu non effundatur.

Obj. 3. Nullus Christo successit in sacerdotio, quia Hebr. 7 dicitur: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco, quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quod maneat in eternum, sempiternum habet sacerdotium*; ergo nulli sunt sacerdotes, qui Christo in sacerdotio successerint, ac proindè nec qui verè in lege nova sacrificium offerre valeant.

2. Christum nullos habere sui sacerdotii successores: quia in illo quod semper manet, non datur successio, habet tamen Christus ministros juxtà id 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*; Ministros nempe, qui Christi vices in terris agant, horum animis & ore seipsum hostiam viventem summus & præcipuus sacerdos quotidie Deo offert.

DICO 2. *Una est hostia (quam scilicet Christus obtulit & nos offerimus) & non multa. . . & unum sacrificium.* S. Th. hic Q. 83 a. 1. ad 2.

Explicatur & probatur: Formaliter est idem sacrificium cœnæ, crucis & Eucharistiæ, licet non sit idem modus offerendi: quia quando est eadem & una numero res oblata, unus & idem numero principalis offerens, est unum & idem numero formaliter sacrificium: quia ab offerente principali præcipuè specificatur & individuatur sacrificium, sed in sacrificio Cœnæ, crucis & Missæ est una & eadem numero res oblata: nempe Christus Dominus, est

idem numero principalis offerens ipse nempe Christus ut ait Trid. sess. 22. de Sacrif. Miss. cap. 2. *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit solâ offerendi ratione diversâ.* Quæ diversitas in modo offerendi patet, quia in cruce offerebatur illud cruentè, quod in ultima cœna fuit oblatum, & in Missa quotidie offertur incruentè. Deindè sunt diversæ actiones ministrorum offerentium, 3tò Sacrificium crucis fuit applicatum per modum causæ universalis ad redemptionem generis humani, quod non convenit sacrificiis cœnæ & Missæ; hæc autem saltem materialiter illa sacrificia diversificant; Nec est singulare in hoc sacrificio admittere variationem materialem cum identitate formali numericâ, cum in toto rigore philosophico sit idem numero formaliter animal sive perfectum, sive imperfectum toto tempore vitæ, licet successivè paulatim mutet materiam, cum alia & alia succedat sub eadem forma per nutritionem.

Obj. Sacrificia & Missæ à diversis oblatae communiter dicuntur plura sacrificia, ergo non videtur esse formaliter unum sacrificium.

ꝛ. Negando consequentiam: quia hic modus loquendi tantum significat diversitatem materialem non formalem, sicut plures superficies, ut sunt successivè sub eadem distantia à polis mundi sunt idem formaliter locus, Licet differant materialiter.

Q U Æ S T I O II.

An Consecratio fieri debeat à solo & uno Sacerdote?

DICO I. *Proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum, S. Th. hic Q. 84. a. 1, in O.*
Ita

DE E
Ita def
Can. 2.
am com
pffolos
cerdores
thema s
Coll
Hoc fa
bis solis
successe
fuit trac
stolis in
nullius
ne pro
ferend
tem pe
dotibu
excom
datis,
stringa
consec
ordini
licitè c
esse di
tus pra
tutione
tem su
facerdo
teria &
secran
ritus s
ted ee
sacrifi
major
sistent

Ita definitum est in Trid. sess. 22. de Sacrif. Missæ
 Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in me-
 am commemorationem, Christum non instituisse A-
 postolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliquæ sa-
 cerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, Ana-
 thema sit.*

Colligitur ex verbis Christi Luc. 22. & 1. Cor. 11.
Hoc facite in meam commemorationem, quibus ver-
 bis solis Apostolis eorumque in munere sacerdotali
 successoribus potestas consecrandi corpus Christi
 fuit tradita, prout Ecclesia à Spiritu sancto & Apo-
 stolis instructa semper intellexit, & eâ de causâ in
 nullius alterius ministri quam sacerdotis ordinatio-
 ne proferuntur illa verba: accipite potestatem of-
 ferendi sacrificium pro vivis & defunctis. Hæc au-
 tem potestas consecrandi comperit omnibus sacer-
 dotibus ritè ordinatis, licet hæreticis, schismaticis,
 excommunicatis, irregularibus, solemniter degra-
 datis, hi enim licet gravissimo sacrilegio se ob-
 stringant in tali statu consecrando, validè tamen
 consecrant: quia potestas consecrandi est potestas
 ordinis in caractere indelebili consistens; ut autem
 licitè consecret sacerdos, præterquam, quod debeat
 esse dispositus ad dignè sumendum, debet servare ri-
 tus præscriptos, non tantùm essentielles, qui ex insti-
 tutione Christi spectant ad essentiam vel integrita-
 tem substantialem sacrificii, ut præter ordinem
 sacerdotalem est legitima intentio sacrificandi, ma-
 teria & forma consecrationis, oblatio materiæ con-
 secrandæ, sumptio specierum consecratarum, quos
 ritus sub mortali servare tenetur, ut per se constat;
 sed etiam accidentales, qui ad externam actionem
 sacrificii ex institutione & ordinatione Ecclesiæ ad
 majorem reverentiam tum in celebrante, tum in as-
 sistentibus Missæ excitandam requiruntur ex præ-
 scripto

scripto rubricarum, quæ hoc nomine vocantur; quia solent esse expressæ rubris characteribus, sunt autem rubricæ informationes eorum, quæ in Missa agenda vel dicenda sunt, & habentur in initio Missalis; aliæ sunt præceptivæ quæ vel aliquid expressè præcipiunt, vel aliquid designant, quod aliàs ex consuetudine vel jure graviter præcipitur, aliæ directivæ, quæ quasi ad melius esse dirigunt & manuducunt sacerdotes, quidnam circa divinum sacrificium fieri vel non fieri conveniat.

DICO I. *Non refert utrum per unum vel multos hoc Sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesie servari.* S. Th. hic Q. 82. a. 2. ad 2. *Ratio est;* Quia in qualibet prolatione est sufficiens ratio causandi præsentiam Christi, nec una prolatio tollit vim alterius, quominus ponatur præsens corpus Christi.

Confirmatur ex praxi Ecclesie Romanæ & multorum Episcopatum, ubi Neomystæ eandem cum Episcopo hostiam consecrant, item novus Episcopus cum aliis Episcopis ordinantibus, & olim Cardinales simul cum Pontifice consecrabant.

Nec dicas: Quod Neomystæ tantum proferant verba consecrationis materialiter sine intentione consecrandi; quia hoc videtur esse contra intentionem Ecclesie Romanæ, quæ jubet, ut Episcopus verba clarè & tardè pronuntiet, ut Neomystæ illum assequi, & cum illo formam absolvere, & consequenter cum ipso consecrare queant, simulque, ut non præveniant Episcopum in prolatione verborum, quod perinde esset, si verba proferrent tantum materialiter. Ut autem in eo, quod ordinati simul cum Episcopo consecrent, omnis vitetur inconvenientia, & non deceat, ut Episcopus, qui ordinat & principaliter accedit ad consecrandum, non

consec-

DE ES
consecr
formen
non pra
quantur
tium pr
novi sa
profere
ut omni
& inde
codem
quidem
hanc r
fumi ab
grum f
cander
Q.
R.
lebranc
Q. III.
reus est
Missæ
bis Ch
ratione
clarat
Deus
Iuum f
ac sub
tunc no
rent, t
cessorib
facite
tholica
cans et
nibus
jus ras

consecratur, ideo novi sacerdotes optinè facient, si forment intentionem consecrandi, si Episcopum non præveniant, si verò illum præveniant vel sequantur, intentionem habebunt materialiter tantum pronuntiandi verba consecrationis, vel etiam novi sacerdotes servabunt generalem intentionem proferendi verba secundum voluntatem Ecclesiæ, ut omnes difficultates evitentur. Attamen si simul & independenter ab Episcopo consecrante cum eodem verba consecrationis absolvant, sacrificant quidem, sumunt autem unicam tantum speciem ob hanc rationem: quia sufficit, utramque speciem sumi ab eo, qui est principalis celebrans, ut integrum sit sacrificium, licet Secundarii celebrantes eandem non sumant.

Q. Quoties sacerdos teneatur celebrare?

R. Sacerdos non curatus (qualiter curatus ad celebrandum obligetur, dictum est 2. 2. Disput. XLI. Q. III.) tenetur aliquando celebrare, & videtur reus esse peccati mortalis, si non aliquoties in anno Missæ sacrificium offerat: quia non respondet verbis Christi Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba obligationem continere declarat Trid. sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 1. dicens: *Deus & Dominus noster . . . Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituabat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem; uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Ità Trid. iudicans esse positivum præceptum Christi datum omnibus sacerdotibus de offerendo hoc sacrificio. Cujus ratio fundamentalis est: De jure naturæ adest obligatio

ligatio in unoquoque colendi Deum per sacrificium: cum per solum sacrificium exhibeatur supremus cultus Deo debitus; quia autem non convenit unicuique, ut per seipsum offerat sacrificium, instituti sunt sacerdotes, qui offerant nomine aliorum sacrificium, juxtà id ad Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in eis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*; ergo quando quis assumit munus sacerdotale assumit obligationem offerendi sacrificium: quia assumit commune debitum populi Deum colendi supremo cultu per sacrificium.

Concordat D. Th. hic Q. 82. a. 10. ubi postquam oppositum ut irrationabile censuravit in O. dicit: *Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omninò a celebratione cessare: sed salutem videtur, quod celebrare teneatur in praecipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt.* Et ad 1. *Ad quod sacerdos obligatur ex ordine jam suscepto*; Ergo est obligatio gravis aliquoties in anno celebrandi. Licet autem in communi non sit determinatum, quoties debeat sacerdos vi obligationis contractae per susceptionem ordinis celebrare, attamen videtur probabilius, quod obligatio celebrandi sacerdoti non curato incumbat, Primò: in omnibus illis occasionibus, in quibus populus tenetur publicè recurrere ad Deum cum oblatione sacrificii, ut in publicis gravibus necessitatibus, pro gratiarum actione ratione alicujus beneficii publici à Deo obtenti, ut probatur hac ratione: quando populus tenetur offerre Deo sacrificium de jure naturali, etiam tenetur sacerdos hujus muneris executor, qualis est quicumque legitimè ordinatus; sed populus de jure naturali tenetur offerre sacrificium in dictis occasionibus;

quia

DE E
quia ra
cessitati
do sup
trentur
dum est
nomine
rum act
ficio.

2dò
aut in
recurrer
plices
quentiu
nexa m
tento a
constit
offeren
non tan
etiam,
sacerdo
re sacri
dos: n
gatione
populo
sacerdo
major
cessaria
3tio
festo d
lebrer.
ordinis
cus pop
goratic
ties illu
per aliu

quia ratio naturalis dicitur, quod in gravibus necessitatibus sit recurrendum ad Deum, illi exhibendo supremum cultum per sacrificium, quo impetrentur opportuna auxilia; eodem modo offerendum est Deo sacrificium Eucharisticum ex ipso suo nomine gratiam sive gratitudinem sonans in gratiarum actionem pro aliquo insigni & publico beneficio.

2dò: In locis, in quibus sunt pauci sacerdotes, aut in temporibus, in quibus est major necessitas recurrendi ad Deum per sacrificium, tenentur simplices sacerdotes ratione muneris sacerdotalis frequentius celebrare. *Ratio est*: quia obligatio annexa muneri sacerdotali mensuranda est ex fine intento ab institutore sacrificii, & ex fine Ecclesiæ constituentis sacerdotem ministrum publicum ad offerendum sacrificium; ergo cum finis sacrificii sit non tantum, ut exhibeatur Deo supremus cultus, sed etiam, ut effectus sacrificii obtineantur, tenetur sacerdos ratione muneris cum illa frequentia offerre sacrificium, quæ sufficit ad hos effectus obtinendos: nam cum munere sacerdotali assumpsit obligationem ad se interponendum apud Deum pro populo ad hunc finem; ergo quo pauciores erunt sacerdotes vel quo plures populi necessitates, eò major frequentia oblationis Eucharisticæ erit necessaria.

3tiò: Simplex sacerdos tenetur celebrare in die festo de præcepto, si non sit alius, qui populo celebret. *Ratio est*: quia quilibet sacerdos ratione ordinis sacerdotalis est constitutus minister publicus populi in ordine ad offerendum sacrificium; ergo ratione muneris tenetur offerre sacrificium, quoties illud offerre tenetur populus; populus autem per alium tenetur offerre sacrificium, quoties ab

Eccle;

Ecclesia jubetur interesse sacrificio: quia omnes assistentes sacrificio dicuntur illud suo modo offerre; ergo deficientibus sacerdotibus ad hoc deputatis, obligatio celebrandi devolvitur ad simplicem sacerdotem; licet enim non obligetur, dum alii adfunt, qui ex speciali titulo tenentur populo deservire, illis tamen deficientibus remanet communis obligatio ex munere sacerdotali nomine populi offerendi sacrificium.

4^{to}: Sacerdos ex quocunque capite impeditus in die festo audire sacrum, tenetur vi præcepti Ecclesiastici de audiendo sacro celebrare, nisi adsit tale impedimentum celebrationis, quod possit excusare ab audiendo sacro. *Ratio est*: quia præceptum Ecclesiæ de audienda Missa est de assistendo oblationi sacrificii, adeoque de colendo Deo per oblationem sacrificii & offerendo ipso sacrificio, ita ut substantia rei præceptæ sit cultus Dei supremus, qui exhibetur ipsi in sacrificio vel per alium publicum ministrum vel per seipsum oblato; ergo si sacerdos in die festo non possit offerre sacrificium per alium publicum ministrum nempe assistendo sacrificio & audiendo sacrum, tenetur offerre sacrificium per seipsum, si non sit legitimè impeditus: præceptum enim desinit obligare, quando fit impossibilis substantia rei præceptæ, illa autem non est impossibilis, quamdiu potest sacerdos per seipsum exhibere Deo supremum cultum.

Q U Æ S T I O III.

In quo consistat Essentia Sacrificii?

SEx præcipuè sunt actiones in Missa, de quibus dubitari potest, an in illis consistat essentia Sacrificii: *Imò*, Oblatio panis & vini, quæ fit in parte
Missæ

DE
Missæ
tio Co
missæ
Corpo
post co
illa ver
hostiæ
immisc
Sumpti
parte sa
munio
secratar
DIC
tione E
Th, hic
Exp
panis &
sanguin
ctione
sacerdo
bus, se
dicit or
ad finem
Prim
in actio
panis &
tæ, qua
cruce ob
Legis of
enim fac
legalibus
hoc verè
Missæ fac
penes m
consecrat
Pars

Missæ quæ vocatur Offertorium. 2dò, Consecratio Corporis & Sanguinis Christi quæ fit in medio missæ ante elevationem. 3tò, Verbalis oblatio Corporis & Sanguinis Christi, quæ fit immediatè post consecrationem, dum in Canone recitantur illa verba: Undè & memores &c. 4tò, Divisio hostiæ consecratæ in tres particulas, quarum una immiscetur speciebus Sanguinis Christi. 5tò, Sumptio Sacramenti à sacerdote sacrificante in parte sacri, quæ vocatur Communio. 6tò, Communio fidelium vel distributio particularum consecratarum fidelibus communicate volentibus.

DICO: *Hoc Sacramentum perficitur in consecratione Eucharistia, in qua sacrificium Deo offertur.* S. Th. hic Q. 82. a. 10. ad 1.

Explicio: Essentia sacrificii non in oblatione panis & vini, nec in oblatione verbali corporis & sanguinis Christi post consecrationem, nec in fractione specierum, nec in sumptione specierum à sacerdote, nec in earum distributione facta fidelibus, sed in sola oblatores consecratione, prout dicit ordinem ad earum consumptionem tanquam ad finem & terminum extrinsecum consistit.

Prima Pars probatur: Essentia sacrificii consistit in actione immutativa hostiæ oblatae, sed oblatio panis & vini non est actio immutativa hostiæ oblatae, quæ, ut dictum est, non est alia, quam quæ in cruce oblata est: Quia res, quæ in sacrificio novæ Legis offertur, est ipsum corpus Christi, in hoc enim sacrificium Eucharisticum differt à sacrificiis legalibus, quod in istis creaturæ offerebantur, in hoc verò ipsemet creator offertur. Undè Trid. ait: Missæ sacrificium non differt à sacrificio crucis nisi penes modum offerendi, sed in oblatione, quæ consecrationem præcedit, nuda substantia panis &

vini offertur. *Adde* : Ex fide certum est , quod Christus , dum Eucharistiam instituit , verum celebravit sacrificium , non legitur tamen , quod consecrationi panis & vini aliquam vocalem oblationem præmiserit.

Secunda Pars probatur : Per oblationem illam nulla sit immutatio in victima sacrificii ; ergo non spectat ad essentiam sacrificii , & si talis oblatio omissa esset , non est reiterandum sacrificium , imò si post consecrationem urgeret casus necessitatis , possent à sacerdote species consecratæ sumi sine tali oblatione ; utraque ergo oblatio tam antecedens quàm consequens consecrationem est pura cæremonia , quarum prior est præparatoria ad consecrationem , posterior explicat consecrationem jam factam , & à Deo postulat , ut fidelibus hostia consecrata profit.

Tertia Pars probatur : Licet illa fractio omittatur , integrum foret sacrificium , uti omitti deberet , si hostia è manibus sacerdotis , dum calicem signat , in calicem elaberetur ; quod sine fractione sit integrum sacrificium , docet S. Th. hic Q. 83. a. 6. ad 6. *Dicendum* , quod fractio hostie consecratae , & quod una sola pars mittatur in calicem , respicit corpus mysticum , sicut admixtio aquæ significat populum , & ideo horum præmissio non facit imperfectionem sacrificii , ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius Sacramenti ; licet ergo probabilius sit , Christum non tantum fractum panem consecrasse , sed etiam fregisse panem consecratum , ut Apostolis distribueret sumendum , sicut indicant illa verba : Hoc est corpus meum , quod pro vobis frangitur , ut habet textus græcus , illa tamen fractio non erat actio , in qua consistebat essentia sacrificii.

Quarta

DE
 Q
 Christe
 obruler
 confect
 babilit
 2. I
 quæ pe
 quam p
 est sum
 tona , u
 3. R
 liter im
 ad ratio
 Nec
 rum id
 existere
 Nam
 sacrifici
 commu
 sumpti
 doti , c
 macho
 tum ej
 grum sa
 Qu
 consecratæ
 est , & t
 distribu
 2. S
 princip
 cent , sed
 in casu r
 3. C
 10. Par
 offerunt
 sacrifici

Quarta Pars probatur 1. Quia certum est, quod Christus, quando Eucharistiam instituit, sacrificium obtulerit, an autem Christus tunc Eucharistiam à se confectam sumpserit, est incertum, licet illud probabiliter à nobis assertum sit.

2. In illa actione formaliter consistit sacrificium, quæ peragitur nomine & in persona Christi tanquam principalis sacrificantis, sed talis actio non est sumptio, quam peragit sacerdos in propria persona, undè præmittit: *Domine non sum dignus.*

3. Res oblata, quando sumitur, non nisi localiter immutatur, localis autem mutatio non sufficit ad rationem sacrificii.

Nec dicas: Christum per sumptionem specierum ideò mutari, quod corruptis speciebus sub iis existere desinat.

Nam contra est: Quod præcipua actio, quâ fit sacrificium, debeat esse propria sacerdoti, & non communis laicis; debet etiam in altari perfici, sed sumptio Eucharistiæ est communis populo & sacerdoti, corruptio specierum non fit in altari, sed in stomacho, & si sacerdos absolute sacrificio per vomitum ejiceret sacras species, adhuc maneret integrum sacrificium.

Quinta Pars probatur 1. Quia licet hostiæ consecratæ non distribuuntur populo, sacrificium tamen est, & manet integrum. Neque jussit Christus fieri distributionem, quoties sacrificatur.

2. Soli sacerdotes sacrificant, ergo actionem principalem, in qua consistit essentia sacrificii, exercent, sed Eucharistiã inter fideles distribuere possunt in casu necessitatis Diaconi, ut superius dictum est.

3. Qui edunt hostias, teste Apostolo 1. Cor. 10. Participes quidem sunt altaris, sed hostias non offerunt, ac proindè non concurrunt ad essentiam sacrificii

Sexta Pars probatur : In illo consistit essentialiter sacrificium Missæ, quod est actus proprius sacerdotii, sed actus proprius sacerdotii est consecrare Eucharistiam sive corpus & sanguinem Christi, quod enim Christus fecit, illius faciendi potestatem dedit Apostolis ordinando eos sacerdotes, & consequenter dando eis potestatem offerendi sacrificium, ad quod est institutum sacerdotium, ut potestas offerendi sit potestas conficiendi Eucharistiam, quæ conficitur per consecrationem.

2. Per consecrationem res oblata seu corpus Christi mysticè immutatur : quia in consecratione sanguis à corpore Christi separatur, dum vi verborum sanguis solus sub speciebus vini & solum corpus sub speciebus panis ponitur.

3. Ipsa consecratio præter mutationem, quam operatur in hostia, etiam essentialiter importat oblationem hostiæ, quatenus nempe victimam sacrificii repræsentat & reddit Deo verè præsentem; non enim aliâ ratione, quam per consecrationem Christus in ultima cœna Deo Patri se sub panis & vini speciebus præsentem exhibuit; habet ergo consecratio specierum omnes conditiones perfecti sacrificii: Nam 1^o est oblatio corporis & sanguinis Christi non quidem verbalis, sed realis, & in actu exercito exhibita, qua corpus & sanguis Christi tanquam victima Deo præsentatur. 2^o Per illam hostia mysticè immutatur per separationem corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, & ita fit mystica & sacramentalis mactatio Christi sanguinisque effusio realiterque repræsentativa effusionis factæ in cruce. 3^o Hæc omnia fiunt à legitimo ministro ad hoc specialiter consecrato in contestationem supremi Domini, quod Deus habet in omnes creaturas.

Quod

DE
 Quo
 stium
 num ex
 convivi
 poru,
 quam a
 sumptio
 si quo
 retur à
 consecr
 pleretur
 Obj.
 particip
 patio fit
 oblatio
 R. I
 cii esse
 crificiis
 tiquæ le
 sacrific
 linque
 ta victi
 Obj.
 repræse
 ficium i
 tum crue
 ait Apo
 nem &
 R. S
 sui N. ra
 ita intel
 cando S
 per con
 Obj.
 dem rep

Quod autem consecratio sacrificii essentiam constituens referatur ad summptionem tanquam terminum extrinsecum. *Probatur*: Eucharistia est instar convivii spiritualis constantis ex sacro cibo & sacro potu, cibus autem & potus ad summptionem tanquam ad finem ordinantur & referuntur, est itaque sumptio Eucharistiæ pars integralis sacrificii, ita ut si quo casu sacerdos post consecrationem impeditur à summptione, per alium sacerdotem species consecratæ essent sumendæ, ut ita sacrificium compleretur.

Obj. 1. De ratione sacrificii est, ut sacrificans participet de sacrificio, sed in Missa hæc participatio fit in communione vel summptione specierum oblatarum, ergo.

R. Participatio sacrificii est de ratione sacrificii essentiali N. accidentali Con. patet hoc ex sacrificiis veteris testamenti; nam inter sacrificia antiquæ legis erant holocausta, quæ erant propriissima sacrificia, & tamen in illis nil participandum relinquebatur offerentibus vel sacerdotibus: cum tota victima combureretur.

Obj. 2. Illud est de essentia sacrificii Missæ, quod repræsentat sacrificium cruentum crucis, quia sacrificium incruentum est imago cruenti, sed sacrificium cruentum crucis repræsentat sumptio: ut enim ait Apostolus: Quotiescunque manducabitis panem &c. ergo sacrificium consistit in summptione.

R. Sumptio repræsentat mortem Christi ratione sui N. ratione consecrationis præsuppositæ Con. & ita intelligendus est Apostolus: videlicet manducando Sacramentum annuntiabitis mortem, quæ per confectionem ejusdem repræsentata est.

Obj. 3. Vi solius consecrationis Christus nequidem repræsentativè moritur, aliàs sacerdos con-

secrans diceretur Christum occidere, quod videtur absurdum.

R. Quod de ratione sacrificii propriè dicti non sit, ut victima actu moriatur, sed satis est, quod victimæ mors ex modo, quo offertur, naturaliter sequi deberet, ut patet in hostiis antiquæ legis, in quibus verum extitisset sacrificium, si post illatum lethale vulnus, Deus mortem victimæ per miraculum impedivisset.

Obj. 4. Quod per consecrationem primo ponitur per consecrationem non destruitur, cum idem eodem instanti non possit poni & simul destrui; aliàs enim idem eodem tempore esset & non esset, sed per consecrationem primò ponitur corpus Christi sub speciebus, ergo per consecrationem non potest destrui & mutari, quod est de ratione sacrificii.

R. Per consecrationem ponitur ità corpus Christi vi verborum sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini, ut naturaliter mors deberet sequi, si hoc tantùm poneretur, quod verba significant, & idè dicitur corpus Christi mysticè mutari.

Obj. 5. In die Veneris sancto non fit consecratio, & tamen offertur sacrificium, ut constat ex verbis sacerdotis, quæ in officio istius diei orat.

R. Quod in die Parasceves nullum fiat sacrificium, sed nomine sacrificii intelligitur hostia pridie in sacrificio consecrata, quæ tunc à sacerdote verba-iter offertur & sumitur.

Q U Æ S T I O IV.

An Consecratio utriusque speciei sit de essentia Sacrificii & una possit sine altera consecrari?

DICO I. *Celebratio hujus Sacramenti est imago representativa passionis Christi. S. Th. hic Q. 83. a. 1. ad 2.*

Eplico:

Explico : Sine consecratione utriusque speciei non subsistit essentia hujus sacrificii, quæ est, ut repræsentet passionem Christi.

Probatur : Licet validè una species consecretur sine aliâ, hæc tamen unius speciei consecratio non repræsentat sanguinis à corpore separationem ejusque effusionem; atqui sacrificium cruentum crucis erat separatio sanguinis à corpore; ergo consecratio unius speciei non repræsentat sacrificium cruentum, ac ita non habet essentialem rationem sacrificii Eucharistici.

Deinde Sacrificium hoc essentialiter idem est cum sacrificio ultimæ cœnæ, quod non tantum fuit qualiscunque Christi oblatio, sed sub signis sensibilibus panis & vini; ergo sub una specie non est sacrificium secundum institutionem Christi, qui obtulit ac offerri voluit, in ordine ad causandos salutare sacrificii effectus, sub utrâque & panis & vini specie.

Obj. I. Consecratione unius speciei efficitur aliquod sacrum: quia conficitur verum Sacramentum; ergo fit sacrificium; consequentia probatur: Actio, quâ fit sacrum in cultum Dei per immutationem est sacrificium; atqui consecratione unius speciei, quâ fit Sacramentum, fit sacrum cum immutatione in cultum Dei; ergo.

R. Negando consequent ad probat. distinguitur Maj. Actio, quâ fit sacrum per immutationem qualemcunque in cultum Dei est sacrificium N. per immutationem tali sacrificio propriam Con. fit ergo immutatio, in quantum vel solus sanguis vi verborum sub specie vini vel solum corpus vi verborum sub specie panis ponitur, non autem quâ mysticè Christus occiditur ac ipsa mors in cruce ad sanguinis à corpore separationem subsequenter repræsentatur, neque sufficit repræsentatio tantum

tum obscura & imperfecta, sed requiritur expressa & perfecta, quæ fiat secundum institutionem Christi.

Obj. 2. Cujuslibet speciei consecratio est verum sacrificium, quia Ecclesia loquitur in numero plurali dicens esse sancta & illibata sacrificia; ergo quavis specie consecratâ essentialis ratio sacrificii Eucharistici ponitur.

R. Ecclesia utitur nominibus hoc sacrificium in plurali significantibus, non idè quod sint plura sacrificia, sed quod sit unicum pluribus partibus constans.

DICO 2. *Non debet corpus sine sanguine consecrari.* S. Th. hic Q. 80. a. 12. ad 3.

Probatur: Præterquam quod jure divino Eucharistia sit instituta per modum convivii spiritualis, ad cuius integritatem desideratur æquè potus ac cibus; sacrificium hoc est institutum, ut sit commemoratio sacrificii cruenti crucis, sicut ergo sacrificium cruentum in cruce non fuit sine sanguinis effusione, ita nec potest sanguinis à corpore separatio integrè & perfectè repræsentari, nisi per distinctam consecrationem & positionem corporis Christi sub speciebus panis & sanguinis Christi sub speciebus vini; ergò simul in sacrificio utraque species consecranda est. Ex quo sequitur, quod nequidem ad viaticum moribundo dandum licet in una tantum specie consecrare; quia præceptum communionis non urget in illo casu, in quo Eucharistia conformiter ad præceptum divinum confici non potest. Deinde non potest S. Pontifex dispensare, ut in una tantum specie consecratur; quia Papa non habet potestatem aliquid immutandi in his, quæ spectant ad integritatem Sacramenti & sacrificii, siquidem in his fundatur unitas & integritas nostræ religionis.

Obj.

De
Ob
in una
terpret
utraqu
nunc n
jurame
de fact
inducu
ità Pot
Innoce
tentrio
consec
nibus

R.

ris div
libera
voti, ju
morali
hæ ob
disper
iis eni
sioner
re pot
de fact
ter ut
Norwe
comm

Obj.

lolum
terit Ec
R.
craveri
qui luff
arguitur
le, quia

Obj. 1. Papa poterit ad minus dispensare, ut in una tantum specie consecratur declarando & interpretando legem divinam de consecrando in utraque specie ob occurrentes necessitates hic & nunc non obligare, sicut (juxta illos, qui in votis & juramenti propriè dictam dispensationem negant) de facto dispensat in juramentis & votis, quæ etiam inducunt obligationem juris divini; imò de facto ita Pontifices dispensasse testantur historiæ, uti de Innocent. VIII. refert Volaterranus, quod in Septentrione cum Norwegis dispensavit, ut sine vino consecrarent, ob raritatem vini in illis Regionibus

R. Papam dispensare posse in illis, quæ sunt juris divini relativi vel respectivi, fundati nempe in libera hominum voluntate, uti sunt obligationes voti, juramenti, contractûs &c. eò quod habeat sibi moraliter subjectas fidelium voluntates, ex quibus hæ obligationes ortum ducunt, non autem potest dispensare in iis, quæ sunt juris divini absoluti, in iis enim tanquam inferior citra specialem commissionem, qualis nullo modo probatur, nihil remittere potest. Quod ex historia adfertur, quasi Papa de facto cum Norwegis dispensaverit, communiter ut fictitium rejicitur: cum etiam hoc tempore Norwegi hæresi Lutheranâ infecti in utraque specie communicent.

Obj. 2. Ipse Christus Luc. 24. legitur in Emaus solum panem consecrasse, quare ergo id non poterit Ecclesia.

R. Dato, quod Christus in Emaus verè consecraverit, & non tantum benedixerit panem (ut aliqui sustinent) ab autoritate negativa inefficaciter arguitur, Christum in Emaus calicem non consecrasse, quia de eo non meminerunt Evangelistæ, non enim

enim omnia, quæ facta sunt, in Evangelio scripta sunt; deinde si Christus consecrationem calicis omisisset, id factum fuisset ex potestate excellentiæ Christo tanquam Authori Sacramentorum competente, qualem non habet Ecclesia, undè Ecclesia hujus divini præcepti de consecrandâ utrâq; specie fuit semper tenax, ut voluerit in casu, quo sacrificium fuisset inchoatum, & quâvis tandem ratione non completum, ab alio sacerdote etiam non jejuno perficeretur, non obstante mandato Ecclesiæ de præmittendo sumptioni Eucharistiæ jejuno.

Obj. 3. Non minus est de integritate sacrificii consecratio utriusque speciei, quam utriusque speciei consumptio; sed in ordinatione sacerdotum neo-ordinati, qui cum Episcopo consecrant, Eucharistiam sub una specie panis sumunt, licet utramque speciem cum Episcopo consecrent.

Rz. Juxtâ dicta superiùs satisfieri integritati sacrificii, si fiat sumptio utriusque speciei à principali celebrante, qualis in proposito est Episcopus, sacerdotes verò ordinati sunt celebrantes secundarii.

Obj. 4. Ecclesia non obstante Christi præcepto: Bibite ex eo omnes &c. Laicis subtrahit calicem, quare etiam non poterit gravibus de causis propter præceptum Christi concedere, ut solus panis consecratur.

Rz. Negando suppositum: Quod de sumendo calice sit Christi præceptum, ut superiùs demonstratum est.

Ex quibus sequitur, quod nunquam liceat positivè non integrum sacrificium facere, an autem ob gravissimam causam videlicet imminentis mortis non aliter evitabilis, nisi relicto imperfecto sacrificio, illud imperfectum relinqui possit; videtur affirmativa probari ex ipsa legis Evangelicæ suavitate,

cum

De
cum a
aliud i

D

De

B On

cc

offertu

Euchar

Latreu

cultus

suprem

quàm

victim

offerer

finitæ

offertu

cium

nem

Deus,

Deo i

nem p

propit

& pœ

um, qu

benefi

A

NO

DE ESSENTIA ET MINISTRO SACRÆ MISSÆ. 541
cum aliud sit positivè non integrum conficere &
aliud imperfectum relinquere sacrificium.

DISPUTATIO XXVII.

De Effectibus, Fructibus & Defectibus Missæ.

Bona, quæ per sacrificium Missæ obtinentur,
colligi possunt ex fine, ad quem sacrificium
offertur, secundum quem est simul Latreuticum,
Eucharisticum, propitiatorium & impetratorium,
Latreuticum est sive honorarium & exhibitivum
cultus divini, in quantum Deo per illud exhibetur
supremus cultus, qui major est in sacrificio Missæ,
quàm unquã fuerit in alio sacrificio, tum ex qualitate
victimæ, quæ est persona infinita, tum ex qualitate
offerentis, quia persona offerens principalis est in-
finitæ dignitatis, tum ex modo offerendi: quia
offertur commemorando & repræsentando sacrifi-
cium crucis. Eucharisticum seu in gratiarum actio-
nem est, quia per hoc sacrificium recognoscitur
Deus, ut primum principium & ultimus finis, &
Deo ipso facto exhibet sacrificans gratiarum actio-
nem pro beneficio creationis, redemptionis &c. est
propitiatorium, quia per illud remittuntur culpæ
& pœnæ peccatis debitæ, est denique impetratori-
um, quia per illud impetrantur à Deo varia dona &
beneficia.

Q U Æ S T I O I.

An Sacrificium Missæ sit valoris infiniti?

Nota. Valoris nomine intelligitur moralis illa
dignitas & æstimabilitas, quam sortitur sa-
crifi-
crifi-